



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De tridvano Ieiunio Pauli

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

momenti habeat, apud Deum, siue piscibus, siue alterius generis carnibus homines se saturent & recreent? Veram humiliationem carnis ad ministerium Spiritus requirit Dominus. Præter hunc finem delectum ciborum obseruare, Manichaicum potius est quam Christianum.

Veteres quidem in diebus Ieiuniorum à carnibus abstinerunt, sed non minus piscium quàm aliorum animantium, & nec vinum biberunt. Veruntamen quodcumque id non ad veram & fidelem carnis castigationem, ac promotionem spiritus in omnibus bonis operibus inseruiuit, veteres iuxta verbum Dei illud reiecerunt. Testatur etiam D. Augustinus in lib. de moribus ecclesie cap. 14. *quod is qui cum vera veteris Adami humiliatione carnibus vescatur, ac vinum bibat, abstinentius vitare ducat, quàm is qui aliis temporalibus cibis ac potu vitatur, à vino autem & carnibus abstineat.* Legatur Hieronymus ad Nepotianum de vita Clericorum. Item in temporibus de tempore adscriptis Augustino, Sermone 157.

Quinta pars rursus est de meritis Ieiunij, & satisfactione pro peccatis. Iam verò promereri aliquid à Deo, postulat equalitatem inter id per quod aliquid promeremur, & illud quod promeremur. Sicuti etiam Per solutio siue satisfactio equalitatem requirit inter id quod persolvitur, siue pro quo satisfit, & illud per quod solutio seu satisfactio præstatur. Hac ratione ne ipsi quidem aduersarij dicent, quod ieiunando aliquid à Deo promereri, aut pro peccatis satisfacere possimus. Omnis enim remissio peccatorum ac meritorum suppliciorum venia, omnia denique dona Dei, ex gratuita bonitate & clementia Dei proficiscuntur, Impetrata per vnicum meritum Domini nostri Iesu Christi. Quomodo autem Ieiunium conferat ad impetrandam remissionem peccatorum, ac veniam meritarum pœnarum, auxilium denique ac donationem omnium bonorum Dei, quòdque id Dominus remuneret, de his omnibus supra copiosè dictum est, in Apologia Articuli de Bonis operibus, & Satisfactione.

Sexta pars est, velle librum consuetudinem illam, qua preces vespertinæ per quadragesimam ante meridiem dicuntur, esse blasphemiam quandam & irrisionem diuinæ Maiestatis. Et hanc dicunt immodicam esse hyperbolen, etiam si concedant abusum aliquem esse. At iudicet pius Christianus, quid sit, in conspectum Dei venire, ac vt pro veteri consuetudine videantur post vespertinas preces cibum sumere, eas preces quæ ratione nominis sub vesperam fieri debebant, cuiusmodi est, Tetrum chaos illabitur, &c. aliique hymni qui de vespertino tempore sonant, ante meridiem habere, contra quam à Patribus ordinatum est & institutum. Ecce tales tamque manifestos & crassos abusus nolunt liberè confiteri: sed scribunt, Etiam si concedamus abusum aliquem esse.

Quando septimam questionem mouerunt, Vtrum quòd Paulus tribus diebus ac noctibus sine cibo ac potu in oratione perseverauit. Act. 9. ieiunium dici debeat, aut non, sine dubio valde otiosi fuerunt.

Verum quocunque tandem nomine vocetur, vtinam & nos eodem modo & simili spiritu Ieiunare possemus, quo Paulus, quem Aduersarij in hoc debilitatis ac seruilis timoris, quo consternatus fuerit, temerè accusant.

Quod Ieiunium alia res sit, quàm vulgaris moderatio in cibo & potu, etiam Liber Reformationis docet, sicut etiam de discrimine Ieiuniorum. Legatur Articulus, quemadmodum in Libro propositus est, & facilè patebit Aduersarios sine omni causa contentiones & rixas quarere, tantoperè molestat eos Realis Reformatio.

Vicesima Accusatio.

De Catholica Administratione Sacramentorum, & Ceremoniis in genere.

CAP. LII.



VICESIMA Accusatio ab Aduersariis in genere instituta est contra omnes Articulos Libri Reformationis, qui de Sacramentis & externis Ceremoniis tractant. Accusant autem Librum quòd aliam regulam ac formam administrandi Sacramenta præscribat, quàm hæctenus in Catholica & apostolica Ecclesia fuerit vsurpata.

Responsio.

INiuriam faciunt Libro Aduersarij. Cæterùm quo clarius ac plenius intelligatur, quænam in administratione Sacramentorum vniformiter in Ecclesiis Christi obseruari debeant, & in quibus salua vnitæte & concordia Christiana dissimilitudo inesse possit, videre oportet quænam res in administratione Sacramentorum à Domino peculiariter ordinatæ, & essentielles sint: & vicissim quæ non peculiariter sint à Domino institutæ, sed pro vniuscuiusque gentis ratione & commoditate mutari ac temperari queant.

Hæc autem sunt, quæ Dominus peculiariter instituit, quæque ad Christianam Sacramentorum administrationem necessariò requiruntur.

Primum: Vt mysteria & dona Dei in Sacramentis, omnibus qui presentes sunt, & Sacramentis communicare volunt, fideliter ac dilucidè proponantur & declarentur: ipsi verò ad verè fidelem Sacramentorum perceptionem diligenter admoneantur.

Alterum, vt caueatur, ne cui Sacramenta ministrentur, nisi tantummodo iis quibus ea ordinauit, Dominus, nempe qui gratiam & communionem eius verè & ex animo desiderant.

Tertium, Vt in administratione Sacramentorum eadem signa & verba vsurpètur, quæ Dominus ad hoc ordinauit; vsurpentur autem ea ratione ac modo, quo ab ipso instituta & mandata sunt.

Quartum, Vt preces & laudes Dei, cum Christianis studio zelòque adhibeantur.